

Casimirus Dei Gratia Rex Polonie, Sidelibus suis
Palatinis, Castellanis, Capitaneis, Procuratoribus, Ju-
diubus, Subiudicibus et Universis, quorum notitia ex-
hibitum erit presentis scriptum, gratiam suam. Cum
Venerabilis in Christo Pater Dominus Jaroslauus
Dei Gratia Ecclesie Gnesnensis Archiepiscopus, pro-
pter diversitatem locorum in quibus Bona Archi-
episcopalia sita sunt, et hereditatum Ecclesie predictae
pluralitatem a se et inter se distantium per quoslibet
citatus, in terminis Judicialibus commode non valet
comparere, et predictis personaliter interesse ad Nostros
Baronorumque nostrorum presentiam accedens. Nobis
instantius supplicavit, ut sibi hanc gratiam prerogati-
vam largiamur, quod in hereditaria vel quavis alia
questione, in quemlibet agendi, aut etiam de se cui libet
querulanti per Procuratores suos legitimos, suo et capi-
tuli sui nomine Constitutos ratum gratum atque fir-
mam habere promittens, quidquid in causis Ecclesie
sue et hereditata tum ipsius quilibet per Procuratores
suos predictos in Judiciis Secularibus quibuslibet esset
actum, procuratum, Ordinatum atque factum. Nos igitur
in hoc non aliud quam quod unicuique reddatur Justitia
plenitudo, affectantes, ne per frequentationem diverso-
rum Judiciorum et locorum Archiepiscopalis dignitas
virescere videatur, et inter, graves et universales medio-
resque Personas, differentia saltem habeatur, ali-
quis vobis singulariter singulis superius scriptis
et generaliter universis, autoritate presentium pre-
cipiende mandamus, quatenus Dominus Archiepi-
scopus predictus per Procuratores suos idoneos, in
Instrumento, vel saltem cum literis suo Archiepi-
scopatu et Capituli Gnesnensis Sigillis de ratihabito-
ne signata vel signatis, quos ad causam vel causas
miserit

miserit, vel deputaverit, elegerit, aut duxerit eligendos
seu mittendos in questionibus hereditariis, seu heredita-
tem, vel hereditariam questionem contingentibus, cau-
sis etiam magnis et parvis inquam libet licet, ac sine
contradictione agere, sua absentia non obstante permit-
tatis. Sic quod etiam in similibus de se conquerenti, vel
conquerentibus modo simili tenere respondere teneatur.
In cuius Rei testimonium, et evidentiam pleniorum
presentes dare fecimus Nostri Sigilli munimine
roboratas. Actum in Gnesna Feria tertia post diem
S: Viti et Modesti Martirum Anno Domini 1343
Presentibus Nobilibus nostris Jaroslao Cosmanensi,
Nioloao Calpuensi Palatinis, Andrea Castellano,
Nioloao Iudice Cosmanens. Dobeslao Iudice Calpuensi
et aliis multis fide dignis Datum per manus Do-
mini Ottonis Cancellarii Colonie